



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Concilia Galliæ Narbonensis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1668**

XXXI. Vrbani Papæ IV. epistolæ ad Guidonem Episcopum Sabinensem,  
sedis apostolicæ Legatum in Angliam destinatum. Ex archivo Archiepiscopi  
Narbonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**

festum ad præsentiam nostram festinus  
accedas, impositum tibi onus ad laudem divini no-  
minis ejusdem generalis Ecclesiæ suscepturnus.

Vide epistolam Urbani IV. ad Ludovicum IX.  
Francorum Regem, quæ edita est à Raynaldo ad  
m 1262. §. 45.

## XXXI.

Urbani Papæ IV. epistolæ ad Guidonem  
Episcopum Sabinensem, sedis apostolice  
Legatum in Angliam destinatum,

*Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.*

VRBANUS Episcopus servus servorum Dei,  
venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi,  
apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam be-  
nictionem. Cùm te ad partes Angliæ, tibi commis-  
so inibi ac in Vvallia & Hibernia plenæ legationis  
officio, pro ingenti & arduo negotio duxerimus de-  
stinandum, quia in desideriis nostris geritur ut sub-  
motis impedimentis quibuslibet hujusmodi nego-  
tium felicem consequatur effectum, convocandi  
ad tuam præsentiam Principes ac Ecclesiarum Præ-  
latos & alios quoscunque fideles quorumlibet regno-  
rum & provinciarum, quandocunque promotioni  
dicti negotij videris expedire, ac injungendi quæ  
utilia ipsi negotio fore videris, ac invocandi eo-  
rum auxilium contra quascunque personas ecclesia-  
sticas ac seculares tuæ legationis & alias adhæren-  
tes eisdem quæ tibi non paruerint vel te impedi-

I iii

præsumperint in negotio supradicto, compellendi quoque monitione præmissa per censuram ecclesiasticam appellatione remota Principes, Prælatos, & fideles eosdem ad impendendum tibi hujusmodi auxilium, non obstantibus aliquibus indulgentiis sedis apostolicæ de quibus quarumque totis tenoribus oporteat in nostris litteris plenam & expressam mentionem fieri, & per quam effectus concessionis hujusmodi impediri valeat vel differri, fraternitati tuæ plenam concedimus auctoritate præsentium potestatem. Datum apud Urbem-veterem x. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.

## XXXII.

**V**urbanus Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Guidoni Episcopo Sabinensi, apostolicæ sedis Legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cùm te ad regnum Angliæ, commissum tibi in illo, in Vvallia, & Hibernia legationis officio, specialiter destinemus, nos volentes ut spirituum largitione munerum incolas illarum partium reddas Deo & sedi apostolicæ plus devotos, fraternitati tuæ dispensandi per te, vel per alium, aut alios, cum Ecclesiarū Prælatis & personis ecclesiasticis tuæ legationis super irregularitate quam contraxerūt vel contraxerint legatione durante, ferendo in alios, contra constitutionem felicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri super hoc editam, excommunicationis sententiam sine scriptis, & non abstinendo à divinis juxta tenorem constitutionis ipsius, liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum apud Urbem-veterem vi. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno tertio.